

que permissu Summi Pontificis assumere curam etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum in titulum. Subdit deinde Fagnanus: & subinde cum Canonici regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui Generalis obtinere officia curata in titulum, vel ad tempus, & res à Congregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas Sua abnuvit; ac postremò concludit, sua ætate etiam Canonicos regulares non obstante dicto cap. 5. de statu Monach. à beneficiis Parochialibus fuisse exclusos. Res omninò confecta fuisset, nisi alii, & quidem non contemnendi interpretes contrà sensissent duce Gabriele Pennotto lib. 2. historię tripartitæ Canonicorum regularium cap. 72., qui translatos quidem è monasteriis exclusit à Parochiis juxta mentem Tridentini Concilii, cæteros tamen Canonicos regulares censuit admittendos. His nullum negotium facessit nuper commemoratum Gregorii XIII. decretum, utpotè quòd ajunt generaliter non fuisse executioni demandatum, imò & S. Caroli Mediolanensis exemplum proferunt, qui anno 1584., sive triennio post decretum Gregorii XIII., Canonico regulari ad concursum admissio Parochialem Ecclesiam conferre non dubitavit. Quid plura? idem Pennottus loco citato subdit, aliud in Romana Curia anno 1584. editum fuisse decretum, quo declaratum est, decretis Tridentini Concilii Canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata secularia, nisi fuerit ex illis translatis, de quibus habetur cap. 11. sess. 14. Hinc diuturnæ fuere controversiæ, Canonicis regularibus petentibus, se ad concursus Parochialium Ecclesiarum admitti, illinc autem pluribus Episcopis eos repellentibus, aliquibus etiam tum demum admittentibus, cum necessitas postularet, sive cum deficerent Clerici sæculares idonei, qui Parochialibus Ecclesiis præficerentur; sic enim ut plurimum evenit, ut in transversum agantur homines, ubi certa decreta præferuntur, quæ an executioni mandata sint, ignoratur, aut quæ non invicem sibi constant, aut quæ non nisi privatis interpre-

tum testimoniis palam fiunt. Tandem aliquando anno 1745. rem totam definivit, & absolvit Benedictus XIV. in sua constitutione, quæ incipit *Quod inscrutabili* 51. in tomo 3. ejusdem Bullarii; ante cujus editionem quæ esset sua sententia, privatim in scripto suo explicaverat idem Benedictus Papa, typis inde impresso in editione Rigantii tom. 3. ad calcem regulæ 43. Cancellariæ. Post hanc constitutionem receptum est, ut Canonici regulares æquè ac Monachi repellantur à quibuscumque beneficiis sæcularibus, etiam si ista curam animarum adnexam habeant. Quòd si justa quædam causa postulat, ut quisquam ex Canonicis regularibus, aut Monachis ad hujus generis beneficia admittatur, postquam Canonicus regularis, aut Monachus veniam à Superiore Generali obtinuerit, non aliter beneficium acquirere poterit, quam si consensus Apostolicæ Sedis accesserit. Ubi verò hæc dispensatio sit impetranda, necessarium semper erit accedere bonum Monastici Superioris testimonium, can. 34. caus. 16. quæst. 1., argumento capituli 2. sess. 22. de Ref., & capituli 4. sess. 25. de regular. in Concilio Tridentino; imò & aliquando caveri solet, ne Canonicus regularis à Sede Apostolica dispensatus solus habitet in sæculari domo, sed jungitur illi Regularis alter ejusdem ordinis, qui de Beneficarii moribus testificari valeat, cap. 2. & 3. de statu Monach., cap. 3. de Cappellis Monachorum. Quod dictum est de Parochialibus beneficiis, id ipsum dicendum videtur de officio Confessarii sanctimonialium, ut vocant, ordinarii, cum hoc simile ad modum sit officio Parochi, & eadem prostet ratio, quæ in beneficio Parochiali, præsertim si Confessarius ratione suscepti muneris extra suum Monasterium degere deberet.

Hucusque consultò egi de Beneficiis sæcularibus Episcopatu minoribus. De Episcopatu, & cæteris dignitatibus Episcopali majoribus alia ratio semper habita fuit, atque etiam hodie habetur; quamobrem dummodò Monachus bonum ha-

beat

beat sui Superioris testimonium, ex quo eum Episcopatu dignum esse comprobetur, Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 2., nihil prohibet, quominus ad Episcopalem dignitatem, vel etiam majorem promoveatur. Id in primis recipi omninò jure potuit ante Concilium Lateranense Alexandri III., seu ante editum capitulum 2. de statu Monach., qui enim votis Monasticis emissis ad Episcopalem sedem è monasterio transferebatur, non vota dimittere, sed in melius commutare, jure ac merito videbatur. Deinde in conspectu Lateranensis decreti nihil est, quod novam disciplinam induxerit, neque enim istud ad dignitates Episcopales suscipiendas pertinet. Et reverà in Episcopali dignitate nulla suspicio esse probabilis potest, nulla fraus, quando qui Episcopus eligitur, juxta jus commune suffragio cleri, & populi ad regendam Ecclesiam advocatur, exacto etiam adhibito scrutinio; imò & si ad hodiernam disciplinam nos convertamus, in Consistorio perpenduntur universæ electi qualitates. Quid plura? quando & Bonifacius VIII. in cap. 24. de elect. in 6., & Clemens V. in Clem. 1. de elect., & Concilium Tridentinum in dicto cap. 2. expressè admiserunt, Regulares quoscumque consentiente Prælato suo ad Episcopalia munera eligi posse. Dissimulare tamen non debeo duo monumenta, quæ sine germana interpretatione relinquenda non sunt. Primum extat in cap. 10. de voto; alterum in cap. 11. de renunciat. In conspectu dicti cap. 10. de voto torquentur Interpretes, quasi inde deducatur, electum ad Episcopalem dignitatem abdicare se potius Episcopatu debere, quam Religionis votum semel emissum frustrari, quod sanè esset contra generalem canonum disciplinam, qua inspecta licèt, votum in melius commutare, meliorem autem constat magisque acceptam esse Deo Episcopalem, quam monasticam professionem. Ut Innocentii III. rescriptum explicemus, facti species ponenda est. Quidam clericus solemniter votum

emiserat regularis ineundæ professionis in Ecclesia Gratianopolitana apud Episcopum; cum verò Romam ire meditaretur, spondit, se impleturum, quod promiserat, intra duos menses, postquam ab urbe redisset. At verò ut jamdiu ab urbe reversus, & duobus à reditu suo jam elapsis mensibus, votum implere neglexit. Post hæc electus fuit à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Gebennensis tunc vacantis in Episcopum. Inter hæc adjuncta electus ante secutam confirmationem petiit ab Innocentio, quid sibi agendum foret, ut conscientiæ suæ consuleret. Rescripsit Innocentius, debere primum votum implere; quod si deinde canonicè electus à Capitulo fuerit, electioni consentiret, & ad Gebennensem Ecclesiam regendam gradum faceret. Facti serie ita exposita, nihil video, quod generali officiat disciplinæ. Agitur de eo, qui voto apud Deum, & apud Ecclesiam gravissimè obstringebatur, agitur de eo, qui voti transgressor, & reus, proindeque gravissimi criminis conscius erat: agitur de eo, cujus vix electio secuta fuerat, non solum nulla subsequente consecratione, sed ne confirmatione quidem Superioris, quæ diligenti scrutinio erat adhuc perficienda; fortè etiam idem electus necdum electioni de se factæ consenserat, sed in iis adjunctis antequam consentiret, consilium Innocentii III. flagitaverat. Vereri sanè poterat electus, ne si Superior confirmationis causa adiretur, crimen illud violati voti objiceretur, & electio tanquam indigni viri rejiceretur. Quamobrem prudentissimè Innocentius respondit, *resignandum esse regimen Ecclesia*, id est allegandam ab electo excusationem, qua profiteatur ipse, se tanquam reum haberi posse deserti voti, quousque illud non impleat, proptereaque se interea tutò consentire electioni non posse; hac prolata excusatione, electum eundem debere votum implere; tum verò demum, si subsecuta fuerit nova electio, consentire eundem posse. Notanda sanè sunt illa verba: *Si Capitulum te postmodum canonicè duxerit eligendum*, quasi di-

di-

dixerit Innocentius, potuisse videri pristinam electionem non canonicè factam, qua designatus Episcopus fuerat, qui reus erat gravis delicti, seu voti necdum impleti. Aliàs secuta professione, & voto impleto, nihil erat, quod in scrutinio causa confirmationis habendo proponi contra electum potuisset; aut si fortè quidquam erat, non dolum exhibebat, sed quandam desidiã, & negligentiam speciem, cujus tanta ratio, quanta doli, haberi non poterat. Difficilius est interpretari alterum monumentum, sive capitulum 11. de renunciat. Tota, quæ ibidem traditur, Innocentii III. doctrina paucis perstringi potest: nimirum docetur, Episcopum relicta Ecclesia ad monasterium transcurrentem, & in eo regulam profitentem, tum demùm ad Episcopatum aliquem redire non posse, cum ad agendam in monasterio penitentiam ob grave admissum crimen dejectus fuerit, non verò quoties vel monasterium adiverit vexatus injuria temporum, vel monasticam vitam elegerit, in qua magis in sacra doctrina proficeret, & magis idoneus redderetur, vel si demisso animo Cathedram dimisisset, ad quam pridem ex cupiditate parentum ignorans ipse ascendisset. Verùm duo inde difficultatem faciunt. Primum est, quo dicitur, hanc doctrinam inniti Concilio Constantinopolitano, quod sit unum ex quatuor principalibus, qua sicut quatuor Evangelia Ecclesia veneratur. Alterum est, quod probare videtur, tot subesse posse honestissimas causas, quibus Episcopus rectè possit ab Ecclesia ad monasterium transire, quasi vita monastica perfectior esse possit vita Episcopali. Prima observatio jamdiu à viris eruditis habita est, qui fassi candidè sunt, Innocentium errore facti lapsum fuisse; etenim cum Innocentius laudaret canonem Concilii Photiani in urbe Constantinopolitana celebrati adversus S. Ignatium, putavit laudare se Concilium Generale secundum, nimirum Constantinopolitanum I. Monumentum ejus Concilii extat apud Gratianum in can. 45. caus. 7. quæst. 1. Et non

solum in eo Innocentius deceptus est, quod crediderit, canonem illum esse revera Concilii Generalis secundi, sed & in eo, quod censuerit pertinere ad eam speciem, qua Episcopus penitentiam causa dejectus in monasterium fuerit. Arte Photii editus canon est; cum enim pridem Photius factò schismate ab Ecclesia Constantinopolitana dejectisset Ignatium, Ignatius fugiens iram Photii, cui omnia prosperè cedebant, ad Monachos confugit, & apud illos diutius mansit, donec mutatis vicibus temporum redire potuit ab Episcopatum ejecto Photio invasore. In his rerum adjunctis decessit ab hac vita Ignatius, & bono pacis Photius iterum ad eandem sedem admissus est; in qua ut sibi tutius jura sua vindicaret, curavit coacta Synodo, ut decerneretur, eum amplius Episcopum esse non posse, qui semel monasticam vitam elegerit; hac enim ratione censebat, persuaderi posse unicuique, se non nova inauguratione Episcopalem obtinuisse sedem, sed quasi postliminii jure retinuisse, unde Ignatii memoriæ non levis injuria fieret. Atque hinc apud Innocentium facti error fuit: cæterum doctrina juris ab Innocentio tradita, in ea parte, qua dicitur, Episcopos penitentiam causa in monasteria ejectos non posse restitui, firmissima est, & Canonum sanctorum principiis consentanea. Succedit altera observatio, qua notamus, Innocentium multos admisisse probabiles casus, quibus Episcopi interea Episcopali curæ cedant, & in monasteria se transferant. Id quidem vetustæ disciplinæ non satis congruit; sed esse potuit Innocentii temporibus accommodatum. Nimirum quousque Episcopi fuere doctrina præclari, seu ii seligerentur, qui populo scientia, pietate, prudentiaque præirent, disciplina ecclesiastica postulabat, ut nulla Episcoporum cessio, vel secessio admitteretur. At verò incidendum fuit in eam ætatem, qua obscuri etiam homines identidem ad Episcopalia munera eligebantur, qui sanè si ab Ecclesia ad monasteria transissent, majorem sibi & doctrinæ, & vir-

virtutum omnium suppellectilem sibi comparavissent. Quamobrem ætas Innocentii III. id ferebat, ut cæteris in casibus si non laudarentur omnes, non tamen improbarentur hujus generis secessiones. Viam huic disciplinæ jam straverat Isidorus Mercator in can. 11. caus. 7. quæst. 1. in iis verbis, *vel regulari mutatione*; faciliorem etiam reddiderat doctrina privatæ legis, quam Monachi plures jactabant sub nomine Urbani II. in can. 2. caus. 19. quæst. 2., & à qua Innocentius idem non videtur recessisse in cap. 18. de regularibus: tanti tunc temporis fiebat, & Isidori Mercatoris auctoritas, & Gratiani.

Multa sanè ex his omnibus colligi utilia possent, quæ tamen ad hoc unum caput facile rediguntur: videlicet in tantæ disciplinæ varietate unum perpetuò servatum fuisse Ecclesiæ spiritum, & sententiam uniformem. Perpetuò Ecclesia optavit, ut ministri optimi seligerentur: perpetuò optavit, ut, qui optimi selecti essent, ab ecclesiasticis officiis non recederent. Hæc ratio fuit, quare olim viri in monasteriis probatissimi ad sacra ministeria advocarentur: Si deinde mutata est disciplina, tribuitur abusu nonnullorum, qui animo vacandi otio, fruedique deliciis, à monasteriis transferri se in Ecclesiam postulabant. Ea ipsa ratio fuit, quare olim ab officiis Ecclesiæ non binerentur Clerici præsertim majores electione solitaria vitæ operosam cleri curam evitare. Si deinde mutata est disciplina, tribuitur abusu nonnullorum, qui parum idonei constituti fuerunt in Ecclesia magistri, & plebium institutores. Beneficia ipsa, quæ veteribus Patribus grave quoddam onus habebantur, aliam formam habere recentioribus visa sunt, conversa in commodam, utilitatemque possidentium; unde retento semper Ecclesiæ spiritu, si quid mutatum est, mutatio ipsa ex ejusdem principiis recta proflebat.

Videor paulisper digressus, non tamen omninò extra rem, à beneficiis re-

gularibus, de quibus adhuc superest investigare, à quonam conferri illa debeant? Paucis dicam, distinguenda esse beneficia à beneficiis. Et primò quidem sunt beneficia vel ab ipsa prima sui institutione verè regularia, quæ sita sunt in administratione reddituum ad monasteria pertinentium, aut etiam in officiis domesticis erga Monachos exhibendis, qualia sunt Abbatia, Prioratus, cæteræque administrationes conventuales, quæ nullum habent adnexum clericalis ordinis ministerium. Hæc profectò aut à Prælato Regulari prævia Monachorum Capitulari electione, aut à Collegio ipsorum Monachorum vi electionis Capitularis conferuntur juxta statuta cujuscumque Ordinis, attenta etiam diversorum officiorum qualitate; unde passim tradi solet, regularia beneficia esse electiva, Faber in codice de sacrosanctis Ecclesiis deffin. 18., junctâ deffin. 65. & 77. Sic in cap. ult. de institut. ad Abbatem regularem dicitur pertinere officiorum omnium regularium institutionem; quod ipsum etiam traditur in Clement. un. de suppl. neglig. Prælat. Singulare illud receptum fuit in Abbatibus, utpotè quibus quasi Episcopalis jurisdictio in Monachos aliquando competiit, ut electione secuta, & munere suscepto petere tenerentur benedictionem ab Episcopo, cap. 1. de suppl. neglig. Prælat., quod tamen post inductas Monachorum exemptiones rarò inde factum est, atque hodie, ubi quæstiones hujus generis emergant, ad singularia uniuscujusque monasterii privilegia respicitur, item consuetudo attenditur, quæ tuta esse potest privilegiorum olim obtentorum interpres. Secundò alia sunt beneficia regularia, quæ monasteriis jamdiu erectis accesserunt, scilicet cohærent Ecclesiis publicis monasteriorum cum exercitio clericalis ordinis, quo Regulares initiati sint, quin tamen habeant adnexam curam animarum in populum. In his beneficiorum collationibus nemo dubitat, quin olim, ubi collatio ordinis conjuncta erat colla-

tioni beneficiorum, eodem jure ad Episcopum pertineret collatio beneficii, quo pertinebat collatio ordinis Monachi gratia facienda. At disjunctis collationibus ordinis, & beneficii, statim ac Episcopus ordinavit Monachum, eo ipso Monachus ordinatus idoneus redditur, qui à Prælato suo prævia electione monasterii, aut ab ipso monasterio deputetur in Ecclesia in eo beneficio ministraturus, quod præsertim verum est, postquam Monachi exemptionum privilegia obtinuerunt. Tertio alia sunt regularia beneficia, quæ non solum cohærent Ecclesiis publicis, sed etiam curam animarum exercendam in populum adnexam habent. Si Ecclesiæ Parochiales hujus generis à monasterio separatae sunt, jam diu obtinuit, Monachos ad eas regendas non admitti, ne à monasterio ipsi recedant, sed reservato Monachis jure præsentandi Clericum non regularem, institutio ad Episcopum pertinet, can. 6. caus. 16. quæst. 2.,

cap. 1. 3. & 4. de Cappell. Monach. At si cura animarum adhæreat Ecclesiæ monasterii, & cura ipsa per monasterium exercentur, sive habitu, sive etiam actu, obtinuit, ut, quoties habitu tantum monasterium curam habeat animarum, & perpetuus Vicarius ibidem sit constituendus, nominatio Vicarii ad monasterium pertineat; adprobatio autem, & institutio nominati Episcopo reservetur; at quoties etiam actu monasterium curam exercent animarum, obtinuit, ut monasterium pro arbitrio seligat unum ex Monachis, quem etiam pro arbitrio ab officio avocet, dummodò utroque in casu conscius reddatur Episcopus, & Monachus electus ab Episcopo adprobetur; siquidem in iis, quæ Parochialem animarum curam spectant, magna semper Episcoporum ratio habenda est, cap. 31. de præbend., cap. 3. §. In Ecclesiis de privileg., cap. un. de Cappell. Monach. in 6., Concilio Tridentino sess. 21. de Ref. cap. 8.

### OBSERVATIO III.

#### De Beneficiis Commendatis.

Singularis illa beneficiorum partitio, juxta quam alia dicuntur in titulum, alia in commendam concedi, occasionem mihi in præsentia præbet plura utilia observandi de beneficiis commendatis. Et quidem in hac re multa jamdiu à scriptoribus nostris tradita sunt, quorum alii adversus commendarum usum acri æquè ac fuso stylo plurima tradiderunt, alii commendis, ac Commendatariis facile indulserunt, utrique sanè rem periculi plenam prosequentes, de qua cum diu tractassent Concilii Tridentini Antistites, non aliud ediderunt decretum, quam quod sobrietas & prudentia suggessit his verbis conceptum in cap. 21. sess. 25. de regular. Cum pleraque monasteria, etiam Abbatia, Prioratus, & Præpositurae, ex mala eorum, quibus commissa fuerint, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus,

quam in temporalibus detrimenta, cupit 8. Synodus, ea ad congruam monastica vita disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura, difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi: ut tamen nihil præmittat, unde prædictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, Sanctis inum Romanum Pontificem pro sua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, regulares persona, ejusdem ordinis expressè professa, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectata virtutis, & sanctitatis conferantur. Quoad ea verò monasteria, quæ capita sunt, ac Prælatos ordinum, sive Abbatia, sive Prioratus, filia illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præ-

Præsentia ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses Religionem illorum ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere, alias commenda prædicta ipso jure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus, & singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta Synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimat; aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam trienniali, adjuvetur. Hæc quidem dispositio, uti videtur, ad solas monasteriorum commendas pertinet; etenim de commendis Ecclesiarum jam pridem Tridentinum Concilium nonnulla salubria constituerat; nihilominus tamen cum inde liqueat, qualis recentioribus sæculis invaluerit commendarum usus, tum etiam inde colligitur, quæ prudentia opus est, ut universa, quæ ad commendas pertinent, discutiantur, atque explicentur. Dabo ego operam, ut quæ pauca traditurus sum, & ordinatè, & sobriè dicta videantur, semper autem juxta mentem Ecclesiæ, & sanctorum Canonum, imò & juxta generalia juris publici principia, quibus omnibus si quisque adhæreat, omne errandi periculum evitabit.

Si de commendarum indole, ac natura sermo habeatur, dixero, commendas nihil aliud esse, quam deposita rerum ecclesiasticarum, vel monasticarum, ubi istæ aut ordinariis administris destituuntur, aut publicè interest, non ab ordinariis administris dirigi, ac curari. Id insinuat vel ipsum commendæ vocabulum, cum commendare nihil aliud sit, quam deponere, l. 24. ff. depositi, eamque ob rem sacri Canones cum de officio Episcoporum verba fecerunt, declaraverunt Episcopis commendata esse bona Ecclesiarum, ut in can. 52. caus. 12. quæst. 2., ut indicaretur, deponi apud Episcopum universa, ut in causas pias tribuerentur. Id ipsum suadet generalis causa, & finis commendarum; neque enim scimus, initio aut alia de causa, aut alium ad finem institutas esse com-

mendas, quam aut quia de dirutis Ecclesiis, vel monasteriis ageretur, aut quia administratores ordinarii non ritè suo munere fungerentur; & quòd sperabatur de commendatariis futurum, ut ipsi dirutas Ecclesias, vel monasteria restaurarent, vel utilius juxta mentem fundatorum res commendatas administrarent. Multa hinc deducuntur consecutaria. Primum est, vacare ea beneficia, quæ commendantur; siquidem nemo est tempore commendationis, qui titulum beneficii, possideat, quod tamen ita intelligitur, ut locum habeat, cum non certantùm prædia, aut certi redditus beneficii, sed ipsum beneficium commendetur. Quamobrem ex omnes regulæ, quæ de vacantibus beneficiis traduntur, ferè locum habent in beneficiis commendatis. Ex hoc principio profluit, ut, quemadmodum vacante beneficio non potest induci legitima præscriptio, argumento capituli 1. ne Sede vacante, ita nec præscriptio ordinaria locum habeat adversus jura beneficii commendati. Secundum est, Commendatarium non solum nullum habere commendati beneficii dominium, quod ne beneficiario quidem conceditur, sed nec habere ullam propriè dictam beneficii possessionem; quamquam enim in possessione rerum beneficiarum sit, non est tamen earundem possessor, ut utar phrasi Jureconsulti in l. 15. §. 2. ff. qui satisfacere cogantur; nimirum habet ipse meram bonorum beneficiariorum detentionem, custodiam, atque administrationem. Tertium est, non repugnare naturæ, atque indoli commendarum, ipsas etiam laicis concedi; quamquam enim laici inidonei sint ad clericalia, sive hierarchica officia gerenda, non tamen inidonei sunt ad exercendas bonorum Ecclesiæ temporalium curas, atque administrationes, intra quarum limites commendarum ratio continetur. Fateor quidem, recentioribus sæculis receptum fuisse, ut Ecclesiæ, & Monasteria, Clericis tantum, vel Religiosis viris commendarentur; at id potius ex